

Plantam possidemus è seminibus lectis in Ægypto à Cl. Boveo. Eandem quoque legeram in arenosis Ægypti, et reperi insuper inter campos Portus-Juvenalis Monspelii. Ullam hujus plantæ descriptionem in florâ ægyptiaca omiseram, propter difficultatem characterum inter conterminas, præsertim cum observationi meæ unicæ minùs confiderem. Idoneum nunc duxi plantam multoties observatam huc recensere.

Utile etiã est scientiæ documentum quod prima Medicaginis laciniatæ genuinæ notitiã à Magnoljo tradita fuerit, qui plantam spontaneam per hortum Monspelicensem olim legerit. Dubium est an prisco hoc tempore Medicago laciniata Monspelium ingressa sit, eodem modo quo nunc colona frequens, cum lanis è longinquo advectis; moratur in campestribus Portus-Juvenalis copiosius quàm varietas supradicta?

19. POA RIGIDA L. Var. β . Bertoloni. flor. ital. 1. p. 323.
- Festuca hemipoa Deille, in Sprengel. syst. 4. part. 2. pag. 36.
- Triticum hemipoa Tenore.

Festuca seu Triticum hemipoa quod miseram olim Sprengelio et Tenoreo, nunc à sagacissimo Bertolonio Poæ rigidæ Linnæe de australi habitatione accommodatæ jure ac merito adjungitur. Nempè Poa rigida in calvum elatiorem, folia glauca et paniculam majorem scabram expanditur secus mare, inter arenosa quibus adeò mutatur ut ejus legitima disquisitio nos effugerit, donec eam ex Bertolonio veri amantissimo assecuti fuerimus.

20. RESEDA LANCEROTÆ Webb et Berthelot Mss.

R. Caule erecto; foliis palmato-partitis, lobis lanceolatis margine cartilagineo-denticulatis; fructibus tuberculatis, diametro spicæ longioribus.

Herba annua admodum vernalis, frigore ferè quotannis læsa. Plurimum affinis Resedæ luteæ; culturâ tamen minimè mutata est, remansitque non confundenda, propter habitum tenoriorem simul et ampliorem omnium partium, fructumque valdè elongatum.

Semina ex insulâ canariensi Lancerotâ nobis communicaverunt clarissimi Webb et Berthelot.

21. SALVIA PALÆSTINA Bentham

S. foliis radicalibus rugosis lanceolatis pinnatifido-lobatis; lobis lanceolatis crenatis, duobus inferioribus interdum solutis foliam sub-